

sed quoad suum motum ratione cuius tenebræ deinceps appellatæ sunt nox, quia incoperunt per successione motus fieri. Sed hæc solutio præter quam quod est directe contra D. Thomam locis nuper citatis, dum dicit, quod a toto corpore diaphano quod est cælum deerat pulchritudo lucis, manifeste in se est falsa; quia si tenebræ solum erant in nostro hemisphærio, et lux dicitur facta, quia incœpit sol moveri ad ipsum, sequitur quod non aliter est facta lux illo primo die a Deo, quam modo quotidie fit lux, quia existente nocte in nostro hemisphærio, incipit sol moveri ad illud, et illuminare tenebras noctis, quas antea non illuminabat. Quod autem sol incœperit tunc moveri, ideo est quia in primo creationis instanti non potuit esse motus intrinsece, sed immediate post, et intrinsece, sicut etiam modo non movetur ad nostrum hemisphærium in instanti intrinsece, sed extrinsece, et immediate post. Dicere autem, quod non aliter erant tenebræ in principio mundi, nec aliter Deus primo formavit lucem in mundo, quam modo quotidie formatur per ortum solis, et motum ejus ad nostrum hemisphærium, plena absurditas est: omnes enim intelligunt primam formationem lucis a Deo factam aliquid diversum esse a quotidiano ortu, et accessu solis ad nostrum hemisphærium. Si autem eo modo facta est lux, quo Suarez ponit, mundus in primo instanti fuit in tota luce, quam potest habere, et modo habet, quia modo nunquam est lux in utroque hemisphærio, sed solum in uno, ut constat, ergo si mundus in primo instanti fuit plene illuminatus in uno hemisphærio, fuit in tota luce, quam potest habere, et modo habet, ergo non magis fuit tunc sub tenebris, et sine luce quam modo. Ergo frustra dicitur quod Deus fecit lucem de tene-

bris, si totam lucem jam habebat, eandem quam modo. Præterea: si sol creatus est in alio hemisphærio cum tota sua luce, et illuminatione, ergo in nostro hemisphærio irradiabant stellæ in primo instanti, et fortassis etiam luna si ex opposito ad solem creata est, quia sol existens in alio hemisphærio illuminat stellas, quæ sunt in nostro hemisphærio, ergo non erant tenebræ in nostro hemisphærio super faciem abyssi, sed erat lux stellarum, sicut modo in serena nocte, quia tunc non erant nubes. Et sic cælum non est creatum informe, sed cum tota pulchritudine lucis, id est, cum tanta luce, quam modo habet, et non aliam potest habere: nec verificatur id, quod dicit Apostolus: *Quod Deus dixit de tenebris splendescere lumen*, non enim de tenebris, sed de aliqua luce, id est, de luce stellarum dixit lumen splendescere, id est, solem oriri, seu moveri ad nos, sicut nunc fit quotidie; quæ omnia satis absurda apparent.

XXVIII. Vera ergo solutio difficultatis propositæ est, quod corpus solare creatum est in primo instanti sine luce, sed omnino informe. Et cum dicitur, quod lux est propria passio solis, distingo: est propria passio illius absolute, et pro omni statu etiam informi, nego; pro aliquo statu in quo est formatus, concedo. Sunt enim aliquæ passiones quæ absolute, et pro omni statu conveniunt rei, sicut risibilitas homini, aut potentia intellectiva: aliæ vero sunt quæ conveniunt rei ex aliqua suppositione, et statu, et non absolute, vel quia sunt passiones impedibiles a suis contrariis, vel quia sunt passiones ita perfectæ, quod exigunt subjectum in statu perfecto, ut illi actu conveniant, v. g. calor ut octo est propria passio ignis, et frigus ut octo aquæ, et tamen potest inveniri aqua sine frigore ut

octo, et ignis sine calore ut octo, præsertim si generentur imperfecte, et sub aliqua informitate, aut sint in statu imperfecto corruptionis. Nec magis est propria passio solis lux, quam calor ignis, vel frigus aquæ. Similiter lapidi convenit quiescere in centro tamquam propria passio, et tamen si generetur extra centrum, non convenit ei quiescere, sed moveri. Et quando primo formatur animal, cor est primum membrum quod formatur, et movetur sine conjunctione ad hepar, et sine sanguine ab eo ministrato, et tamen postea moreretur animal, et non moveretur cor sine sanguine, et hepate. Et aliæ sunt actiones convenientes homini viro, vel infanti, et diversæ proprietates conveniunt uni ætati atque alteri, v. g. diversum robur, vires, etc. Si ergo lux est proprietas solis formati, et in statu perfecto, non solis informis, et solum in sua entitate considerati in primo instanti creationis.

XXIX. Et si dicas: Quis est iste status perfectus, et formatio solis, ut ratione ejus conveniat illi lux, respondeo esse statum in quo sol consideratur non solum entitative secundum quod est quoddam corpus cœleste, sed secundum quod est principium varietatis istorum inferiorum quoad generationem, et corruptionem, et distinctionem rerum. Et similiter lux consideratur non ut præcise est illuminativa, sicut etiam invenietur post diem iudicii in cœlo, et modo invenitur in igne, sed ut est alterativa et generativa horum inferiorum, et vivificativa eorum, ac distinctiva diei ac noctis, sic enim data est soli primo ille die. Sol autem, et lux ejus non sunt influxiva varietatis, et distinctionis horum inferiorum secundum quod sol absolute consideratur in sua entitate, sed supposito motu, quia sine motu sol non influit in istorum in-

feriorum generationem, et varietatem, ut manifestum erit post diem iudicii. Ergo lux talis qualitatis, id est, ut influxiva in generationem horum inferiorum, non fuit debita soli in primo instanti, quia tunc non erat adhuc motus, sed debuit motus præsupponi, ut esset in statu habendi talem lucem; ergo et aliquod tempus debuit poni sine luce, ut esset in statu habendi illam, quia omnis motus in tempore est, non in instanti. Lux autem connaturaliter debuit in instanti dimanare a sole, vel in eo produci, tum quia illuminatio est instantanea; tum quia ipsa lux in sole est forma permanens, et in summo perfecta, ita quod non potest successive crescere. Si ergo lux connaturaliter datur in instanti, et quia talis conditionis est in sole, quod est influxiva in generationem horum inferiorum, præsupponit in illo motum, ut ei conveniat, oportuit quod inter instans creationis solis, et instans quo lux data est, aliquis motus intercederet, et consequenter aliquod tempus sine luce, atque adeo in tenebris. Quantum autem temporis fuerit, relinquatur voluntati creatoris. Et nos supra probabiliter putavimus fuisse spatium sex horarum propter convenientiam ibi adductam.

XXX. Et sic intelligimus opinionem eorum, qui docent defuisse aliquam propriam passionem soli in primo instanti creationis, scilicet non passionem, quæ tunc deberetur, sed quæ postea in statu magis formato debita est; de qua opinione videatur Ferrariensis iv contra gentiles, cap. lxxv; Bagnez hic, et alii. Et sine dubio est S. Thomæ, ut ibi probat Ferrariensis, §. Moveor vi, quia ex una parte in hac quæstione art. iv ad ii, dicit illam primam lucem fuisse in sole: ex alia autem docet infra quæst. lxxiv, art. ii, in corpore: « Post productionem creaturæ

fuisse aliquod tempus, in quo non erat lux. » Et supra quæst. LXVI, art. I, dicit: « Quod deerat a toto corpore diaphano, quod dicitur cælum pulchritudo lucis. » Ergo in sententia D. Thomæ aliquando fuit sol sine luce.

QUÆSTIO LXVIII.

DE OPERE SECUNDÆ DIEI.

TEXTUS.

Dixit quoque Deus: Fiat firmamentum in medio aquarum, et dividat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum, divisitque aquas quæ erant sub firmamento ab iis, quæ erant super firmamentum.

NOTANDA CIRCA HANC QUÆSTIONEM.

I. Secundum opus distinctionis, quod in secunda die factum est a Deo, continet duos effectus. Primus, est formatio firmamenti, quod Deus appellavit cælum. Secundus, est divisio, seu segregatio inter aquas superiores, quæ sunt super ipsum firmamentum ab iis quæ sunt sub illo. Et circa utrumque effectum est magna difficultas, quodnam sit illud firmamentum, an sit cælum in quo sunt sidera, et est octava sphaera inter cælestes: hæc enim etiam vocatur firmamentum: an vero illud firmamentum est spatium illud aeris in quo nubes coagulantur, et vocatur expansio, et cælum, sicut dicuntur volucres cæli, scilicet non cæli siderei, sed aerei. Circa secundum effectum est etiam difficultas quænam sint illæ aquæ, quæ hic dicuntur esse super firmamentum, et quæ dicantur esse infra illud; et quomodo firmamentum dividat in-

ter illas, et dicatur factum in medio aquarum.

FIRMAMENTUM FACTUM SECUNDA DIE
NON EST ALIQUOD CORPUS CÆLESTE.

II. Difficile est in iis quæstionibus resolutionem Sancti Thomæ invenire, quia ipse tantam reverentiam defert sacris doctoribus, quod in hoc tractatu potius elegit eorum opiniones referre, quam impugnare, vel suam interponere, memor illius sententiæ Augustini I de Genesi imperfecto cap. I: « De obscuris naturalium rerum, quæ omnipotenti Deo artifice facta sentimus, non affirmando, sed quærendo tractandum est in libris maxime, quos nobis commendat auctoritas divina. » Nihilominus circa hanc difficultatem de firmamento, an fuerit cæleste, vel aereum, non obscure indicat sanctus doctor suam sententiam, tum in hac quæstione, articulo primo, ubi utramque sententiam, et intelligentiam proponens, quod nomine firmamenti quidam intelligunt firmamentum æthereum, quidam aereum, in calce corporis articuli hanc secundam sententiam maxime commendat illis, Augustini verbis II de Genesi ad litteram, cap. IV: « Hanc considerationem laude dignissimam judico. Quod enim, dixit, neque est contra fidem, et in promptu, posito documento credi potest. » Tum quia infra quæst. LXXIV, artic. I, inquit: « Quod prima pars mundi, quæ significatur nomine cæli distinguitur prima die, et ornatur quarta; media vero quæ significatur nomine aquæ distinguitur secunda die, et ornatur quinta. » Igitur secundum D. Thomam divisio, quæ facta est secunda die non pertinuit ad corpora cælestia, sed ad elementalia, quæ nomine aquæ designantur. Denique, S. Thomas opus creationis ponit

factum simul, et in instanti, nempe quando in principio creavit Deus cælum et terram: reliquis autem diebus non est creatum aliquid ex nihilo, ut affirmat infra quæstione LXXIV, art. I ad I, et art. II ad II. Firmamentum autem sidereum non potuit secundum sententiam D. Thomæ fieri nisi per creationem ex nihilo, quia cælum est ingenerabile, et incorruptibile, ergo non secunda die, quia solum per creationem est producibile. Habemus ergo hanc sententiam a D. Thoma approbatam, et necessario juxta sua principia deductam, et ab Augustino valde laudatam, et Chrysostomo, homilia IV in Genesim non improbatam, insinuatamque ab Ambrosio lib. II hexameron, c. IV, licet in capite tertio etiam oppositam videatur defendere. Eam etiam sequitur Beda, libro II de elementis philosophiæ in principio, glossa interlinearis, et plures ex recentioribus, quos citat, et sequitur pater Suarez, libro II de opere sex dierum, cap. IV, num. XX; Bagnez in hac quæstione LXVIII, et alii.

III. Nihilominus oppositam sententiam tenent etiam alii, qui putant supra firmamentum sidereum esse veras, et elementales aquas; quod tenet Molina tractatu de opere sex dierum, disp. X, et Bellarminus super Psalmum CXLVIII, ad illa verba: *Et aquæ omnes quæ super cælos sunt, etc.* et alii. Fundanturque præcipue in proprietate verborum Scripturæ, quæ id sæpius significat, et in pluribus sanctis patribus, qui sic interpretari videntur Scripturam, de quo postea. Potest autem hæc sententia duplici via defendi. Uno modo sustinendo omnes cælos, præter empyreum non esse creatos ex nihilo, sed ex aqua, quæ a principio occupabat totum spatium a terra usque ad cælum empyreum: et hanc opinionem ut probabiliorem

sequitur Molina citatus. Alia via potest defendi, affirmando cælos non esse factos ex aqua neque aquas occupasse totum illud spatium usque ad cælum empyreum, sed cælos esse factos per creationem, aquas vero elementales illuc esse elevatas a Deo, vel creatas supra cælum stellatum. Et quidem sancti patres qui aquas illas supra cælos sic explicant, non multum disputant de hac quæstione quomodo celeste illud corpus interpositum sit inter istas aquas. Unde non videntur plures ex illis rem hanc ex professo tractare, ut postea expendemus. Rem tamen hanc redigendo ad disputationis terminos, tot tantaque sunt inconvenientia, quæ ex illa sententia sequuntur, ut omnino nos cogant ad sententiam Augustini, et D. Thomæ confugere. Breviter id colligemus in utroque modo defendendi illam sententiam.

IV. Primo ergo, si dicatur illud firmamentum cæleste secunda die factum esse cælum generatum ex aqua, interpositumque inter aquas superiores, et inferiores, ostenditur falsitas, et inconveniens hujus, quia ad hoc ut tale firmamentum fieret in medio aquarum, sicut dicit Scriptura, oportebat quod elementum quasi repletet totum spatium quod est usque ad cælum empyreum, vel usque ad novam sphaeram, si quidem firmamentum quod est octava sphaera dicitur facta in medio istarum aquarum, et divisisse inter aquas superiores, et inferiores. Et iterum tota illa aquarum moles necessaria erat, si debebat præbere materiam ex qua fierent vastissima illa corpora, quæ a cælo lunæ usque ad empyreum occupabant illud spatium. Elementum autem aquæ non potest connaturaliter, et juxta suam naturam tantum spatium replere in hoc universo quantum modo occupant aer, ignis, et novem, vel